
A. Bremer

Susanna.

Rostock. 1618.


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

1,-170
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 011767
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

ANDREÆ BREMERI

SUSANNA

HOC EST

Hiſtoriæ ejus poëtica DESCRIPTIO

De

Dracone item Babilonico adiunctum.

PORTUÆ

Ex officina SARTORIANA,

Anno ∞. IↃC. XVIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

BERTILUS CANUTUS.

QUod rarum in his terris, Lector, quod novum vide jam QUATUORDECENNEM *Poëtam, nec ſcio an eos annos adhuc implevit. A meâ manu eſt & diſciplinâ; duxi aliâ viâ quam vulgò in more, & ſi ſic pergimus, metam brevi tangat quam propoſuimus ad alia poſtea longiùs longiusq; iturus. Arbores amamus quæ citò in fructum ſe laxant & adhuc parvæ; hîc magis decet, & favore ad altiora inſtigare ac plauſu. De iſtis dicunt (nam placet eadem imago)* fœcundari aurâ quæ novo vere ſpirat: *ita hîc eſt, mirum quantum benevolentiæ illi venti hos tales provehant & producant. Opto à bonis magnisq; huic fieri, & ut manum ſupponant ac allevent & juvent: nam ut lupulus baculum requirit & fulcrum quo in actum ſe tollat, ſine fructu eſt ſi in terrâ jacet & ſerpat. Idem hîc fit & magnorum ope indigent, qui ipſi in fortunis non magnis, (hic non eſt) ſi ad Muſas eant ac ad ſapientiam ſe penetrent & pervadant. Tu ſalve Lector &* FAVE.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Ornatiſs. Humaniſs.q;
VIRO

CASPARO FLAMINIO

Patrono meo ac Mecœnati
dono iſta dedicoque,

S. & amorem.

PRimitias iſtas meas in lucem edo, easque ad te fero, tibiq; pro recepto & laudabili more & conſvetudine dedico, conſecroq;, & cauſam eam habeo ſatis magnam, quòd litteras amas, & illos qui iis operam dederunt, doctus ipſe & eruditus: etſi hoc etiam invitat, quod multa in me & meos benefacta poſuiſti, quæ,

 cùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

cùm non ſciam aliter ſolvere, me gratum & memorem ſic volui oſtendere: peto obſecroq́; ut hæc tibi grata ſinas eſſe, quamvis parva ſunt, dilapſi mihi, ut ſcis, adhuc pueriles anni non ſunt, cum ad majorem pervenero ætatem, majora (auxiliante Deo) dabo, & meliora. Tu diu & feliciter vive & vale, & me meosque ut cæpiſti favore & amore proſequere.

Andreas Bremerus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

ANDREÆ BREMERI

SUSANNA,

Hoc eſt

Hiſtoriæ ejus poëtica deſcriptio.

AD ſummos alij ſperent modò ſemper honores,
Aſpirentq́; levem ſtudijs adquirere famam,
Nomen &, æternum quod creſcat eritq́; ſub ævum;
Fortia dum procerum deducant facta leventq́;,
Et tollant titulos Regumq́; Ducumq́; perennes.
Me juvat in caſtris ita nunc ſudare lubetq́;
Aonijs, mentemq́; libris ſubmittere ſacris,
Surgat ut inſtantes creſcatq́; perennis in annos
Fama DEI, *& latum ſe ſpargat eatq́; per orbem.*
Alte Deus, cæptis tantùm faveasq́; beesq́;,
Propoſitumq́; juves, ſucceſſus desq́; beatos.
Ordior. Eduxit quondam Babilonia magnum
Invidioſa virum, Joachimi nomine clarum,
Pectore qui Domini conſtanti juſſa colebat
Et probitas cordis non deficiebat amica,
Florida reſpexit vultu fortuna benigno,
Dives erat, fœlix, opibusq́; refertus amatis,
Non longê â foribus formoſum habuitq́; viretum,
In quo Phœbejâ mentem ſub luce refecit
Atq́; oculos lætus per tuta ſilentia pavit.
Judæi illius ſubiere domumq́; laremq́;,
Cauſæ quando graves aliquæ caſusq́; volebant,
Ingenio quoniam fuit & virtute ſupremus.
Duxit in uxorem flagranti ab amore Suſannam
Illam ex Helciâ natam magnoq́; bonoq́;,
Ipſam formoſamq́; animo pietateq́; pulcram.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Hæc ſemper turbâ jam diſcedente ſolebat,
Ire in formoſum ſubamœnis floribus hortum.
Et laſciva Venus volucerq; cupidinis ardor,
Corda ſenum cæci flammis implevit amoris,
Ac oculos in eam ſic conjecêre venuſtam
Illos, in cælum ne poſſent tollere celſum,
Aut Domini memori mandatum mente notare,
Et celeres ejus pœnas iramq; timere,
Quæ ſupra cunctos veniantq; cadantq; ſuperbos,
Fœdera qui cupiant ſocialis lædere lecti.
Ambo ſed Veneri ſic ſuccubuêre nefandæ,
In lucem mentesq; ſuas aperire pudebat.
Illam extra ſepes obſervavêre vireti
Cottidiè, ut faciem tantùm vultumq; viderent,
Atq; habitum crebrò formoſi corporis almum,
Cumq́; diu ſedes fuerant aliquando ſub iſtas,
Alter ait: cœna eſt, noſtras abeamus ad ædes.
Diſceſſêre locis iſtis, abiêreq́; triſtes,
In quæ non multis pòſt horis ambo reverſi.
Conſilium ſubitò falſum cepère malumq́;,
Quomodo, tam pulchrâ poſſent petulanter abuti,
Inſtituère diem facinus quo tale patrarent.
Venit in irriguum tandem Matrona viretum,
Ivit & in teneris ibi floribus alma roſisq;
Admirans Domini tunc facta & munera magni.
Fertur ab immenſo nobis calor altus olympo,
Dixit, & in terras Sol lumina mittit amatas.
Ergò delectat jam membra lavare lubetq́;,
Ac artus liquido perfundere rore tenellos,
Purum vos ſaltem mihi ducite ſmegma puellæ,
Quo poſſum hac in aquâ teneras abſtergere ſordes.

Clau-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Claudite vosq́ fores, portæq́ obducite clauſtra,
Ad me ne veniat quiſquam ſine veſte ſedentem.
Hæ diſceſſerunt, & Sola remanſit eratq́.
Surrexère ſenes multo de gramine falſi,
Adq́ illam ſubitò greſſus vertère pedesq́
Dicentes: ſiquidem jam nullus adeſtvè videtvè
A nobisq́ tuæ jam diſceſſère puellæ,
Prona voluntatem tu tandem amplectere noſtram,
Et te ſic totam nobis ſine murmure trade.
Falſis nos aliâs dictis teſtabimur ambo
Iuremusq́ virum tibi ſtupra tuliſſe venuſtum.
Admiſit lachrimas, cordis ſuſpiria traxit,
Atq́ ait: unde mihi tanta infortunia ſurgunt?
Et me cur tandem ſors impedit aſpera lætam?
Si modò non veſtrum laſciva implevero juſſum,
Me guſtaturam ſcio pocula mortis amara.
Sed tamen in manibus potius mea vita peribit
Veſtris, quam Domini ſpernam mandata ſupremi,
Sicq́ ſuam incepit dictis vocem edere ſummam.
Clamavère ſenes verò magis altius ambo
Adq́ fores horti ſe contulit unus amœni,
Viq́ illas ſolvit ſubito fregitq́ valenti.
Sed cùm ſentirent vicina ſub atria ſervi
Tantos clamores, tantasq́ exſurgere voces,
Exivère citò, triſtem acceſſère Suſannam,
Illamq́ in terrâ ſine ſpe videre jacentem
Vitæ, quærentes quali eſſet capta dolore!
Multa ſenes verò numerabant nequiter acta,
Matronæ in mentem quæ non venère pudicæ.
Acceſſit tandem, parvo pòſt tempore, certa
Ad loca judicij, populus ſapiensq́ ſenatus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Unâ cum ſenibus ſic fraude doloq; repletis,
Qui caſtam adferri falſi juſsēre piamq́;,
Et pro judicio, quamvis ſine crimine, ſiſti.
Venit, & adduxit natos dulcesq́; parentes,
Et ſecum cunctos conſangvinitate propinquos.
Moxq́; præiverunt, turbæ in medioq́; ſteterunt,
Illam qui miſeræ voluerunt tradere morti,
Ac iſtas falſo narrarunt ore loquelas:
Cùm circum muros viridis ſimul ivimus horti.
Quem tibi vicinum tenet ipſa hæc prava colitq́;,
Scortum hoc advenit fervente libidine plenum,
Cumq; illo binæ, quas juſsit abire, puellæ.
Surrexit tandem juvenis de gramine lætus,
Cum quo, polluto, mores maculavit honeſtos,
Pectore, & impuros Veneris tractavit amores.
Ac ad eos ſubitò tam turpi in amore jacentes
Ivimus, & ſtudium ſub tuta ſilentia nobis
Grande fuit, juvenem capiendi, curaq́;: verum
Cùm nos à manibus non longè ſciret abeſſe,
Aufugit cautus, pede non remorante, levisq́;.
Turba fidem ſenibus firmatam adhibebat iniquis,
Ajebatq; illam mortem meruiſſe nefandam:
Suſtulit ingentem vocem Matrona ſub auras,
Altaq; deflendas tollebat in aſtra querelas:
O DEUS omniregens, qui perſpicis intima cordis,
Qui tacitiq́; vides penetralia pectoris ima,
Ante tuos oculos non clauſum eſt mente ſuperbos
Cordéq; mordaci hæc mendacia ſpargere lingvâ,
Iudiciumq́; in me capitis ſine jure dediſſe;
Ergo tu tandem mihi mitis adeſto vocanti.
Audivit, votis quem ſic oneravit amantem,

Illiusq́;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Illiusq; preces faciles admiſit in aures,
Et cum cæde ferâ leehoq; periret amaro,
Prodivit Daniel, tandem, ſapiensq; piusq;
Prudentiq; iſtas fudit de pectore voces.
Non cadat illius ſupra me ſangvis eatq;,
Implevêre locum, latis diſcurſibus omnes,
Et greſſus ad eum paſſusq; tulêre volantes,
Ut verba & ſenſus in lucem exponeret iſtos.
Eſtis, ait: tales pia quos ſapientia novit?
Cur vos inſontem morti ſine jure ſiniſtræ
Fertis? quæ cepit veſtras audacia mentes?
Flectite vos ſubitò, tali de errore redite,
Verſavêre ſenes fraudemq; dolumq; ſuperbi.
Reſpondere omnes, ſummo clamore loquentes:
Tu juvenis propius nobis errantibus adſta,
Te magnus, quis ſcit num miſit in æthere Princeps
Ut noſtræ faceres errorem mentis apertum?
Hi ſejungantur ſubitò, reſpondit, eantq;
A ſe, per ſpacium breve, ſicq; videbitis omnes,
Quod modo reſtituam, culpâ, quod ſpero, vacanti
Vitam, & mendaces in læva pericla reponam.
Factum eſt. & Daniel primum accerſivit, aitq;:
Quæ commiſiſti tua jam te crimina fallent,
Falsè judicium longè &, ſine jure tuliſti,
Ac inculpatos toto à vitioq; remotos,
Morti, pro donis, pro muneribusq;, dediſti;
Quamvis æternus cœli terræq; creator
Mandat, ne occides lingvâ vel cæde cruentus,
Tu mihi jam dicas ſub cujus tegmine ligni
Hos inveniſti tam pravo in amore cubantes,
Reſpondit, paucisq; dedit reſponſa loquelis:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Illos ſub tiliâ vidi aſpexiq́ virente.
Jam Daniel: cælo mox Angelus almus ab alto
Te inveniet, vitamq́ tuam deducat in umbras,
Apparent tua nam vanæ mendacia linguæ.
Hæc cùm dicta, citò deductus, & alter in iſta
Mox loca ſubvenit, vultu intravitq́ ſuperbo,
Atq́ iterum Daniel: quæ te dementia movit?
Tu Cananæo non Judæ à ſemine nate.
Pulcher te vultus ſeduxit & atra cupido,
Quæ tua laſcivis implevit pectora flammis.
Talia cum natis vos Iſraëlis amandis
Crimina tractaſtis, longè ſine murmure tuti,
Veſtraq́ non auſæ ſunt prava negare cupita.
Hæc verum à Judâ, nullius conſcia culpæ,
Noluit hoc cæci committere crimen amoris,
Arbore ſub quali ſcelus hoc, effare peractum eſt?
Reſpondit: patulo viridis ſub tegmine querci.
Et Daniel: Domini cito te bonus angelus alti
Signabit, teq́ in diſcrimina ponat acerba,
Nam quæ narraſti tua te mendacia perdunt,
Et vos jam contra vos dicitis, inquit, & iſtis,
Sic triſtemq́ ad vos mortem lethumq́ tuliſtis.
Mox populus, magnis implevit vocibus aſtra,
Contavitq́ Deo meritarum encomia laudum,
Qui ſic auxilio dignatus adeſſe jacenti eſt,
Illamq́ à damno, ſorte iraſcente, levare,
Tortoriq́ ſenes [illegible] ebantur acerbo,
Mitteret ad nigras ut eos crudeliter umbras.

De

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

De Dracone Babilonico.

NUnc iterum levibus verſus placet addere chartis
Cultaq́; Phœbæo deducere carmina plectro,
Et tener æterni laudes iterabo parentis,
Tantùm (quod voveo) ſit felix ſitq; beatum.
Monſtrum horrendum, informe, ingens, magnumq;, malumq;,
In Babilone fuit, vocitat ſcriptura Draconem.
Hunc coluit vulgus, Rex hunc affecit honore
Votaq; ſpesq; ſuas ad eum ſine mente ferebant.
Iſtic, temporibus ſub ijsdem, vixit eratq́;
Ille in conſtanti pietate fideq; ſacrâ vir
Daniel, hîc ſolus ſummum patremq́; Deumq́;
Qui vi cuncta regit nullos moriturus in annos,
Votis & precibus ſupplex ſine fine rogavit.
Nolebant alij iſtâ in relligione manere,
Rex illum dictis acceſſit, & obruit, iſtis:
Quid tu de ſacro cenſes hoc numine, nonne
Immortale, levis placidos trahit aëris hauſtus?
Explet ſe dapibus deducit pocula, mecum
Cur tu non etiam tantum reverenter adoras?
Reſpondit vix vix fiet dum vita manebit,
Quòd veſana colam cultu ludibria vano.
Sed mihi tu veniam, Rex clementiſsime, dona,
Jam veſtrumq́; Deum, ſine ferro, funere tollam
Atro, ac in nihilum vires cum corpore mittam.
Conceſsâ tandem veniâ de Rege datâq́;,
Crines & ſævum citò cum pice coxit amaro
Ejus & in fauces maſſas demiſit apertas,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Unde ſuam fudit pariter cum ſangvine vitam,
Terrisq; exceſſit, partes diviſus in ambas.
Et Daniel, tacitâ cordis dulcedine plenus,
Ecce Deum, dixit, veſtrum cui fertis honores
Altos, iſtius jam ubi vis ubi gloria perſtat.
Id populus, verò, ſubolens ſub pectore movit
Irarum fluctus, magni incepere tumultus,
Adverſus Regem, voces iſtæq; ſonarunt;
Rex in Judæos animum inclinavit amicum,
Abq; iſtâ poſthac vult relligione teneri,
Vaſtavit Belum, conturbavitq; Draconem,
Dixeruntq; omnes, Danielem ſponte relinque,
Quem tu ſupra omnes tanto dignaris honore,
Inq; manus illum noſtras demitte cruentas,
Nos aliàs ſubitò perdamus teq; tuosq;
Sæviter, & letho vos extingvamus amaro.
Cùm ſic ſparſiſſent celeres iramq; minasq;,
Tradidit è manibus tum quem voluêre deditq;.
Impoſuêre loco tandem ſine jure leonum,
In quo per ſpacium ſex manſit eratq; dierum.
Agnos ad victum binos cepêre virosq;
Cottidie, ſpacio ſed nil videre ſub iſto,
Ut citius Daniel [illegible]eretur: amanâ
Tumq; in Judæâ vixitq; fuitq; Propheta,
Numine divino tactus, ſacroq; favore,
Qui ſibi cùm ſvavi pulmentum aliquando paraſſet
Lacte, quod ad feſſos magno portaret in æſtu
Meſſores, ad eum tandem deſcendit ab alto
Vox Domini, dicens: Abacuc duc ilicò ferq;
Quam portas eſcam Danieli in ſede leonum
Stanti, quem nunc nunc Babilonia continet alta.

Ipſe renarravit: mi Rexvê Deusvè ſupreme,
Ante oculos nunquam loca ſunt ea viſa, mihivè
Cognita, per greſſus quos illuc ibo viasq;?
Angelus à cælo tandem citò miſſus aperto eſt,
Qui ſtantem ſubitò loca ſic deduxit in iſta.
Quò cùm veniſſet ſeſe clamore ferebat
Ingenti, nitidoq́; iſtam dabat ore loquelam:
Sume cibum, Daniel, facili quem porrigo mente,
De Domino miſſum ſummo, quo lætus alaris,
Luctu mox poſito cepit nova gaudia, dicens:
Te, pater alme, canam, grates referamq́; perennes,
Famaq́; perpetuo tua creſcat eatq; ſub ævo,
Qui me corde geris modo ſemper habesq; revincto;
Nec temnis minimum, qui ſic te pronus adorat,
Teq; rogat, caſu cùm ſit percuſſus iniquo,
Surrexit, victuq; famem diſperſit amico,
Inq; ejus vires creverunt corpore, moxq́;
In terras, Abacuc in quîs fuit ante redivit.
Poſt ſpacium ſeptem, dilapſum Rexq; dierum,
Deplorare feram voluit deflereq; mortem,
Quam, juvenem paſſum ſine jure fuiſſe putabat,
Cum verò triſtis loca ſubveniſſet in iſta,
Vidit eum in medio ſtantem aſpexitq; leonum,
Auras ergò ſuis implevit vocibus, alta
Gaudia turbatæ mentiq; infudit, aitq;:
O Daniel, ſolus Deus eſt cui tanta poteſtas,
Qui ſic incolumem damno te eduxit ab alto,
Exi (quod jubeo) me lætus abiq; vidente,
Vindictamq; tuis ex hoſtibus accipe ſævam,
Et reliqui qui illum voluerunt ante nefandæ
Tradere ſic morti, juxta mandata sereni

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Regis, in hæc poſiti ſubitò ſunt clauſtra, citoq́;
Faucibus ex avidis in parvula fruſtra ſecati.

Placet adhuc pietatis hæc initia huc addere,
Etſi ſciam mecum alio in eo ſic concurrere.

DECEM PRÆCEPTA.

NOn alienorum fingas tibi numina Divum.
Nec nomen Domini ducat tua lingva ferat q́;
Vanê. Tuq; diem juſtèq; pièq; ſacrabis
Illius. Atq; ſenes habeas in honore parentes.
Corpora nec letho perdas crudelitêr atro.
Falſus nec ſocij rumpas ſacra fœdera lecti.
Nec clam ſubducas alienas nocte ſilente
Divitias. Falsè nec tu teſtaberis. Ædes
Demens alterius nec mens cupiat q; petat q;
Uxoremq;, & quæ ſudore laboreq; cepit.

SYMBOLUM APOSTOLICUM.

IN ſummum pono genitorem ſpemq; fidemq́;,
Qui cælum ſolus qui cuncta ſolumq; creavit.
Inq; ejus gnatum, ſacro de flamine, Chriſtum,
Conceptum, pura qui eſt Rex de virgine natus,
Qui ſub Pilato mortis mala pondera paſſus
Sævæ eſt, & tandem datus impoſitusq; ſepulchro
Et qui mox ſtygij deſcendit in antra Tiranni,
Poſtq; dies celeri tres greſſu è morte ſacroq;
Ivit, & ad ſummum redijt cum laude parentem
Cujus in æternum dextræ probus aſſidet almæ,
Quodq; hominum juſtus fiet ſcio poſtea judex.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Et ſacer in vitá, mea ſpes, eſt ſpiritus omni,
Qui pax & requies noſtra eſt & amœna voluptas,
Deq; Deo quod ſit demiſſa eccleſia novi,
In quâ ſemper erit communio ſancta piorum.
Quodq; remittatur peccatum ab amore ſcelusq;
Cunctum, quodq; omnes hîc qui vixêre reſurgant;
Perpetuâq; pÿ cum Chriſto pace fruantur.

ORATIO DOMINICA.

O Pater in cœlo qui vivis adesq; ſoloq;,
Nomen in orbe tuum fac ſanctum ſitq; ſacrumq;,
Adveniatq; tuum nobis, Pater optime regnum,
Sitq; tua in terris ut in alto ſponte voluntas,
Daq; volens omnem quâ ſuſtentabimur eſcam,
Atq; gravem nobis culpam labemq; remitte,
Ut nos & noſtram faciles deponimus iram.
Altaq; nec tu nos duc in tentamina ſervè.
Auxilium nobis da ſorte furente levaq;,
AMEN.

De BAPTISMO.

ITe per immenſum, ſacra verba doceteq;, mundum,
In patris, in nati modò flaminis inq; ſacrati
Nomine, baptiſmo ſanctoq; ſacroq; lavate,
Et qui ſpontè fidem, cito, ſpemq; receperit, ejus
Crimina non repetam ſcelerata, ſed ipſe ſub omni
Ævo, ſalvus erit, poſt gaudia ſumat, & omnis
Qui non crediderit, miſer as ducetur in umbras.

DE CŒNA DOMINI.

QUā manibus datus eſt falſè impoſitusq; cruentis
Panem, nocte, volens Chriſtus ſibi ſumſit amansq;
Cumq; altas memori retuliſſet pectore grates,
Fregit, diſcipulis veſci mandavit, aitq; :
Corpus id eſt ſine fraude meum, conſumite, poſthac
Ut fiam veſtris infixus ſenſibus, utq́;
Crimina veſtra dehinc jam ſint maneantq́; ſepulta.
Idem, cum cœnam, luctu cepiſſet amaro
Mox calicem ſumptum conſumi juſſit, & inquit:
Hicce meus ſangvis divino è fonteq; potus,
Qui modo pro vobis effunditur omnibus, à me
Ut veſtrum crimen, ſic condonetur & error,
Hoc facite, & memori poſthac me mente tenete.

BENEDICTIO MENSÆ.

IN te cunctorum ſperant oculiq́; animiq́;
Illis nam dulcem mitis das largiter eſcam,
Pronus oportuno dextram nec tempore claudis,
Sed tua ſic cunctos benedictio complet amica.

Gloria ſit Patri, ſit Gnato, ſitq́; ſacrato
Spiritui, mœſtis qui gaudia mentibus affert,
Qui fuit, eſt, & erit, perq; omnia ſecla manebit,
AMEN.

O Pater in cœlo qui vivis, &c.

Hæc Deus omnipotens benedic modo dona Paterq;,
Noſtras in menſas tua quæ clementia miſit,
Per Chriſtum, noſtrumq; Deum, noſtramq́; ſalutem, AMEN.

Gratiarum Actio post cibum.

DUlcia ferte Deo cuncti modo munera laudum,
Ejus in æternum quoniam clementia durat,
Qui dat victum avibus, carnem ſuſtentat & omnem,
Nonq; potentiam equi curat, nonq; oſſa virorum,
Vero ſed ſeſe vult corde levare timentes.

Gloria ſit Patri ſit Gnato, &c.
O Pater in cœlo qui vivis, &c.

Grates ſumme Parens pro victu hoc reddimus altas,
Quem nobis dulci jam pro bonitate dediſti,
Per Jeſum Chriſtum Dominumq; Deumq;, perenni
Qui tecum vivit regnatq; in ſecula, laude,
AMEN.

Precatio Matutina.

COeleſtis princeps tibi me modo præbeo gratum,
Propter tutelam ſub quâ jacuiq́; fuiq́;
Nocte hac, teq́; rogo, mihi jam digneris adeſſe
Poſthac, ne per me peccatum creſcat & error,
Cuncta ſed ut poſſint tibi jam mea facta probari,
Et manibus commendo tuis vitamq;, measq́;
Vires, & mentem, quæq; è probitate dediſti,
Servant utq; tui me ſervi ſemper & adſint
Manda, ne Satanas me tentet fraude trahatq́;,
AMEN.

PRECATIO Ve-ſpertina.

Summe Parens memori tibi defero pectore grates,
Quod me ſervaſti tutelâ adſtante faventer,
Hac præterlapſa clemens in luce dieq́.
Te rogo, condones quæ te offendêre, petoq́,
Inq́ tuum pronus me mittas ſpontè favorem,
Dextræ ſubq́ tua condas me largiter umbrâ,
Nam commendo meum tibi corpus cunctaq́ ſemper
Quæ mea ſunt. Ne me Satanas malus hoſtis & atrox
Ducat tu prohibe, qui ſerum vivis in ævum.

A M E N.

IN ANDREÆ BREMERI hæc ſupra annos PERICULA.

SIc ſic Muſæum nectar gratumq; ſaporem
Pronus & ex Phœbi cyathis bibe melq; merumq;,
Mentemq; & vires animumq; ad magna reflecte,
Inq; altis ſtudijs noctesq; diesq; pererra
Svaviter, ac Muſas ſine fine amplectere dulces.
Et venias ſubitò ad famam nomenq; perenne
Extollasq; caput ſublime ad culmina cœli,
Magnusq; & celebris fias vivasq; ſub ævum,
Utere ſic tantum brevibus dum vixeris annis.
Urbes ac ædes defloreſcuntq; caduntq;
Fama autem celebris nunquam moriatur in umbris
Non exſtingvatur non corrumpatur in orbe.

Laurentius Olaus Nico: F.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

rigenda sunt ista à Typographo commissa
actum l. altum. p. 5 aterunm l. æternum
tibi. l. sibi, p. 9 leehog, l. bthog, p. 10 istis
tis item contavitq; l. cantavitq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-170 4° 1176